



Ioannes apud Lucemburgenses honesto loco natus, & optimè educatus est. Is cum felici ingenio esset præditus, operam literis dedit, & in ijs plurimum profecit. In primis uero Iurisprudentiae incubuit, & eloquentiae studium coniunxit. huic eruditio[n]i addiderat uitæ innocentiam, & magnam animi prudentiam. Itaq[ue] factum cum Mathias Heldus loco motus esset, ut Nauius Granuellani opera in eius locum 1540 Procancellarius Cæsaris constitue retur, ut qui suis moribus esset obsequenter. Postea Carolus Imperator hunc Nauium ob rerum usum multū dilexit, & suo nomine res maximas hinc inde in Imperio egit. Nam statim eodem anno Granuellani legatus in colloquio Vuormatiensi interfuit, & pro sua uoluntate omnia direxit. Postea quoq[ue] 1544 in Spirensibus comitijs Cæsar per eum inter Landgrauium & Brunsuicensem multa egit, & hos inuicem reconciliare uoluit. Par ratione sequenti anno per Granuellanum & Nauium multa cum Protestantibus de Concilio & bello Turcico egit, & in primis Nauium ad Coloniensem, Moguntinensem, & Palatinum electores misit, atq[ue] animi sui sententiam exposuit. Par ratione Ratisbonæ 1546 in comitijs per Nauium Cæsar ciuitates Imperij de futuro bello admonuit, atq[ue] ut quiescerent, consuluit. Cum hoc modo ob rerum agendarum dexteritatem Nauius in magna authoritate esset, atq[ue] Carolus iam per superiorem Germaniam uictor contra Saxonia[m] electorem expeditionem susciperet, Nauius sub initium 1547 obiit, & Georgius Seldus in eius locum successit. Io-han. Sleid,